





680.

AD

CLERUM, ET POPULUM

DIOECESIS ARIANENSIS

EPISTOLA PASTORALIS





NEAPOLI

EX TYPIS RAPHAELIS MIRANDA

1838.

FRANCISCUS CAPEZZUTO

MISERATIONE DIVINA

EPISCOPUS ARIANENSIS

ET BARO S. ELEUTHERII

Venerabilibus Fratribus, et Filiis in Christo dilectissimis Capitulo, Clero, Magistratibus, et Optimatibus, cunctisque de Populo Arianensi.

Conjicienti oculos in ea Apostoli verba ad Timotheum « si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat » videri cuidam prima fronte potest, Episcopatus esse appetendus, immo et comparandus ad commodioris vitæ statum. At longe aliter res se habet. Nam potestas, seu sensus illorum verborum est: si quis Episcopatum desiderat, opus praeclarum, atque arduum desiderat, nempe munus, quod est occasio maximae caritatis exercendae, et salvandarum tot millium animarum, quot sibi commissa sunt.

Ita Expositores in hunc locum. Atque haec explicatio patet primo ex textu ipso, ubi pro voce, quam Vulgata vertit *bonum*, graece habetur καλου, quod praeclarum, et arduum sonat. Favet huic interpretationi etiam contextus. Nam Apostolus illico post citata verba, nulla facta mentione dignitatis, vitae commodioris, et

caeterorum bonorum temporalium , quae ex Episcopatu reportare ambiunt carnales ; e vestigio progreditur ad virtutes heroicas, quae in Episcopatu necessariae sunt , easque ad sexdecim enumerat supra caeteras , scilicet decem positivas , sex negativas : et pergit in hunc modum. Oportet Episcopum irreprehensibilem esse , sobrium , prudentem , pudicum , et cet: Et merito quidem , ac jure optimo. Nam tum maxime paratum esse militem oportet , cum fortiores , et plures occurrunt hostes , loca pugnae difficiliora , et casus magis adversi. At quae tempora magis difficilia , quam ea , cum scribebat Apostolus ? Cum Ecclesia Dei in mediis persecutionibus Tirannorum , velut in mediis dirissimae tempestatis undis fluctuabat ? Hinc qui ad Episcopatum eligebatur , ad martyrium paratus esse debebat , et perferendas quascumque vexationes. Quamobrem Apostolus in laudata epistola ad Timotheum non solum non commodae vitae utilitates , et requiem , solatiumque spectavit in exponenda Episcopali dignitate ; sed potius labores solummodo , curas , vigilias , aliaque intendit incommoda , quae pro animarum salute erant necessario toleranda primis illis praesertim Ecclesiae temporibus , uti post S. Augustinum , inquit Gregorius Magnus , cum animarum curatoribus Principum tyrannidi forti animo obsistendum , et morti etiam pro commisso grege occurrendum. Favet ergo secundum Sanctum Pontificem Apostolus ex desiderio , et statim terret ex praecepto.

Quod si nunc, dilectissimi Filii , ac Fratres carissimi, cessarunt inimici externi , qui Ecclesiam Dei subvertere initio suae propagationis conjuraverant : vigent adhuc procul dubio interni , et tanto magis , quanto magis Chri-

stianorum pietas, et caritas remisit; quanto magis crevit vitium, et mores sunt solutiores. Haec omnia Ego ipse mecum reputans, nihil minus cogitabam quam Episcopatum, et multo minus appetebam. Quare accepto nuntio meae ad Arianensem istam Cathedram electionis, quali consternatione perculsus sim, vobis considerandum relinquo: dum hinc mille dotes ad munus Episcopale rite obeundum mihi veniebant in mentem, hinc in me descendens, eo virtutum ornatu, eisque ingenii facultatibus nudum Memet perspiciebam, quibus ad officium opus erat. In hoc statu rerum quid facerem? Quo me verterem? Confestim ad pedes Clementissimi Regis nostri, quem Deus in aeum sospitet, cucurri, eique modestissima, qua par erat, supplicatione me totum aperui, ac in primis usus sum excusatione defectus virtutum necessariarum; tum virium, ac tenuis ingenii, denique infirmae valetudinis. At ille ore, quo beat populos, qualis alter Salomon, duobus, aut tribus verbis animum meum depressum levavit, respondens, me legitima Auctoritate esse electum Antistitem, legitima Auctoritate confirmatum: quare meam electionem a Deo manasse; Deum autem vires, et opem pro necessitate subministraturum, et opus, quod inceperat, feliciter consummaturum. Hoc prope divino oraculo, quo nihil fieri potest verius, sapientiusque; cuique etiam omnes excellentissimi Regii Administri, quibuscum mihi sermo, subscripserunt; de animi abjectione erectus Ego, ac confirmatus caeca obedientia dimitto caput, et onus impositum subeo, ratus grande piaculum jussibus duorum Maximorum Principum ultra reluctari, scilicet Augustissimi, ac Pientissimi Regis nostri Ferdinandi II., et Sum-

mi Pontificis Gregorii XVI., qui tanta benevolentia, tanta benignitate meam humilitatem complexi fuerant, quos ambos summopere admiratur praesens aetas, et magis admirabitur futura aeque providentissimos, ac vigilantissimos, Illum in suo utriusque Siciliae Regno sanctis legibus moderando, Hunc in servando puro, et intacto Dei verbo per universum orbem Christianorum; majus etiam piaculum arbitratus resistere voluntati Dei, quam in mandatis Augustorum Dominorum agnoscebam.

Hanc autem promptam obedientiam meam Deus benigne excipere, ac confestim praemio afficere visus est. Nam simul ac quidquid in me est virium, ingenii, et solertiae, immo meipsum totum impendere in servitium commissae Ecclesiae Dei statuo, sciscitanti mihi de creditis ovibus perfertur ad aures optima de vobis fama, dilectissimi Filii, de vestris moribus, de vestra pietate, de religionis studio, laboribusque Sacerdotum in sacra Christi vinea: quod incredibile est, quanto me gaudio, et consolatione cumularit. Igitur veniam ad vos quamprimum, coelo juvante, non diffidentiae plenus, ut antea, sed bene sperans in primis in potenti auxilio Dei; tum in adjutorio, et consilio selectissimi mei Senatus, quem nominatim in partem laborum voco; et in protectione integrorum, qui istic sunt, Magistratuum; denique in docilitate, ac precibus apud Altissimum omnium Dioecesanorum a minimo ad maximum. Veniam ad vos non ut dominans in Cleris, sed ut minister; non tam ut Episcopus, quam ut Pastor, vel potius ut Parens amantissimus; quaerens non quae mea sunt, sed quae Jesu Christi, afferens omnibus pacem, ac benedictionem in Domino; vitio solum-

modo, et Inferno indicens bellum: impensurus pro salute animarum vestrarum quodcumque potero sudoribus, opera, precibus, exhortatione; factus omnia omnibus, et quidem omnibus homo omnium horarum.

Jam vero non tam ut moneam, quam ut singulis quibusque ordinibus aliquam benevolentiae, ac paterni amoris significationem exhibeam, omnibus aliqua verba faciam, et primum vos, selectissimi Cathedralis Ecclesiae Canonici, alloquor, qui de Episcopi Senatu, et consilio estis. Equidem spero, pro vestra doctrina, prudentia, consilio, humanitate mihi pastoralibus curis districto vos juvamen non parvum allaturos. Huc porro quum accedat mira, qua praediti estis, modestia, morum integritas, domus Dei amor, et studium ardens; demum sedulitas in celebrandis excubiis Domini, mirum quantum mihi quidem gaudio, christiano vero populo exemplo, et usui estis futuri. Tunc enim vero quod estis professione, ex Ambrosii sententia, factis potius, quam nomine demostrabitis; regnabit in vobis semper caritas sancta, et fraterna concordia; et si qua forte in vobis contentio, ea tantummodo erit, quae majorem Dei gloriam spectet, et qua unusquisque vestrum aemuletur charismata meliora.

Neque minore virtutum ornatu praefulgere debetis omnes vos, amplissimi Collegialium Ecclesiarum Canonici, qui licet Capitulo Cathedralis Ecclesiae minores estis praecedentia, et gradu, tamen et ipsi decoro Canonici nomine ornati estis; ideoque illorum Cathedralis Canonicorum sapientiam, honestatem, pietatem, caeterasque virtutes Christianas aemulari debetis. Sic nomen vestrum tueri, ac retinere poteritis, ut prae aliis Clericis Canonici, seu Regu-

lares ex observata scilicet ecclesiasticae disciplinae perfectius regula nominari mereamini , a quibus mores, et pietatis studium , ac tamquam regulam cultus Divini caeteri de populo ament discere.

Ad vos nunc me converto, mihi semper carissimi, o Ecclesiarum Parochialium Rectores, qui in cura animarum secundum post me obtinetis gradum. Agite, o boni, viriliter, et confortamini in Domino, ac ne lassitudo vos unquam capiat in via, quam semel arripuistis. Praesto estote semper animabus, quae vobis commissae sunt, absque ulla personarum acceptione: pascite, ex Apostolorum Principis praecepto, qui in vobis est, gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie. Pascite, inquam, assiduo verbi Dei praeconio, ut Parochiales vestri probe noscant, et intelligant mandata Dei, ne forte ex eorum ignoratione peccare videantur. Pascite gregem vestrum diligente , assiduaque sacramentorum adminis tratione, ut adipe divinae gratiae semper , et magis crescat in dies. Pascite demum hortationibus, consiliis, monitis, et quaquinque alia rat ione potestis, ut qui devii a vero, in viam erroris misere ingressi sunt, ab ea recedant ; qui vero rectam mandatorum Dei semitam jam percurrunt, magis, magisque progrediantur in ea. Quod tamen in primis commendatum vobis volo, immo per Jesum Christum rogo peculiarem in modum , illud sane est, ut affabiliter, patienterque rudes , et agrestes homines, maxime vero puellos fidei nostrae mysteria, et morum disciplinam doceatis, ne forte in vos illud cadat, quod « pueri petierunt panem, et non erat qui frangeret eis ». Ita enim parentum socordiae, quam vel maxime

vigere hodie dolemus, occurretis: puelli vero suo tempore, et parentibus, et patriae, et vero etiam tum civili, tum Christianae reipublicae erunt et magno ornamento, et utilitati.

Quod dixi de Parochis, idem ferme monitos, et vos volo, o venerandi simplices Sacerdotes; necnon et vos, qui ecclesiasticae militiae balteum jam induistis, sed ordine sacerdotali non dum inaugurati estis. Nam licet ambo ad gradum Parochorum nondum ascendistis, tamen ad illum initiati estis. Hinc in cura animarum debetis Parochos coadiuvare, quisque pro sua parte; addiscere, quae ad administrationem Sacramentorum, quae ad praeconium verbi Dei, ad erudiendos rudes, ad incitandos bono exemplo ad virtutem populos, spectant. Et quia sine scientia id numquam obtineri potest, idcirco nocturna manu, ac diurna versare exemplaria Scripturarum, ac Sanctorum Patrum volumina debetis: insuper theologiae dogmaticae, et moralis, necnon legis canonicae scita in succum, et sanguinem vobis redigenda sunt. Quod ad mores vero attinet, curare necesse habetis, ut omni virtutum genere decoremini. Uno verbo debetis adamussim facere quidquid Tridentinum praescribit de honestate clericorum, ut vos praebeatis exemplum bonorum operum in verbo, in conversatione, in caritate non ficta, in doctrina, in fide, ac in castitate; ita ut non solum boni, sed etiam qui ex adverso est, vereatur vos nihil habens malum dicere de vobis. Illud denique potissimum cavere vos vellem quod revera turpe est, ne illud temporis, quodcumque vobis vacuum relinquant Ecclesiae ministeria, in judiciorum anfractibus, vel in foro nundinali, vel in aucupio, aut ferarum vena-

tione; et multo minus in ludis, conviviis, aliisque similibus consumatis. Nihil praetiosius tempore, ideoque plurimi fieri debet, et diligentissime custodiri.

Priusquam hunc, qui est ad Clerum Saecularem sermo, absolvam, est aliud, de quo non solum Parochos, sed omnes Rectores sacri Seminarii, et cunctos alios ad quos cura juventutis spectat, enixe precer, atque obtester. Praecipuum in modum commendo vobis adolescentes vestrae curae, ac fidei commissos: omni conatu providete, omni studio et vingilantia curate, ne vitium in animis eorum subprepat, ne Diabolus eos inficiat malo viro; dum ille semper circuit, quaerens, quem devoret; et iuvenes sunt cerei in vitium flecti, ut etiam Gentiles agnoveruut. Spargite in illorum cordibus semper bona semina virtutum, praesertim in mente puerorum illorum, qui ad sanctuarium educantur. Omnia facite, ut imbuantur pietate, religione, caritate, sapientia, et omuibus partibus boni civis, optimi Christiani erga Deum, erga Regem, erga parentes, erga proximum quemque, ac nostri similem. Primae impressiones, ajunt Philosophi, validius commovent, et difficilius eradicantur. Hinc si bona eis prima elementa instillantur nihil melius; si minus recta, nihil pejus: corruptio enim optimi pessima, ait etiam Spiritus Sanctus.

Huic tamen tantae, tamque praecipuae curae, quam de vobis suscipient Moderatores, nisi vos fideliter respondere studeatis prompta obedientia, o Alumni venerabilis Seminarii, conatus eorum, et admonitiones in cassum cadent. Dociles igitur estote ad quoslibet nutus Praepositorum vestrorum. Estote Regulae observantissimi; cumque

ea duo juveni Alumno potissimum praescribat, primum ut discat pium esse erga Deum omni caritatis, et probitatis officio; deinde ut det operam scientiarum interiorum comparationi, utrumque vos facite sedulo; ac primum incumbite ad pietatem, et virtutum acquisitionem; deinde abdite vos ipsi in litteras, non parcentes laboribus unquam, non remittendo unquam de assiduis lucubrationibus. Fieri vultis Sacerdotes? Scientia opus est; nam scriptum est: « labia Sacerdotis custodiant scientiam, et requirant populi ex ore ejus. » Aspiratis ad Magistratus, cupitis esse boni Juris Consulti, optimi medici? Scientia, et quam eminenti indigetis, quam sine labore frustra cuperetis acquirere. Reliquum temporis, quod a studio vobis vacat, revertentes iterum ad pietatis exercitia, date illud orationi, date bonis moribus formandis, et maxime comparando sancto Dei timori, qui initium est scientiae. Sic mens vestra semper bono applicata, occasionem non habebit se distrahendi in vanis, et minus rectis saeculi curis. Sic evitabitis otium, quod vitiorum pater, et origo esse solet.

Clerum Saecularem excipit Regularis. Hic vester clerus, o venerabiles Patres Religiosi, locum non habet in sacra Hierarchia inter initiantes, ut saecularis. Tamen est illo perfectior professione, severo genere vitae, ac sanctis institutis, et multoties etiam factis. Cavete igitur, ne facta discrepent professioni, si quis vestrum scilicet ratione vivendi degeneret ab instituto. Cum autem statui vestro non conveniat exercere actus illos Hierarchicos, qui proprii Parochorum sunt; potestis tamen plebem precibus vestris juvare, potestis praeconio verbi Dei, potestis excipiendis

Fidelium confessionibus, potestis bono exemplo. Hoc facite, quaeso, atque adhortor quam maxime.

Item pene inculco vobis, atque vehementer suadeo, o Virgines Sanctimoniales, carae Christi sponsae; status vester, ut ille Monachorum, est solemnis, ac immutabilis professio tendendi ad eam caritatis perfectionem, quae in hac vita mortali haberi potest. Quare crescite semper in sanctitate vitae, in rerum caelestium contemplatione, et unione cum Deo; crescite in amore Christi, ac Angelicis moribus, et sequamini Agnum quocumque ierit. Equidem, quantum in me est, omnia quae possum, faciam, nihil ut vos deterreat, atque impediat, quominus in suscepto itinere semper progrediamini. At vos precibus apud Deum numquam parcite, ut plebs suo Pastori semper audiens dicto sit, et a vitiis abstinere studeat.

Jam ad vos pervenit epistola mea, o integermini Magistratus, clarissimi Praesules Provinciae. At quid vobis suadeam, ac flagitem? Scio a vobis juste, sancte, riteque omnia judicari, ac decerni; bene administrari Provinciae res, optime expediri, atque curari, quae sunt Regis. Unum tamen habeo, quod orem, nempe ut qua valetis ratione, Ecclesiam Dei, bonosque mores protegatis; iniquitatem vero, et licentiam abominemini, ac refraenetis: idque exemplo veterum bonorum Imperatorum, quos ita factitasse passim narrant Historiae. Quod non dubito, quin vos, qui optimi Christiani, et observantissimi Ecclesiae Dei filii, cum fide, ac religiosissime facturi sitis.

Atque haec ad dignitates, et potestates ecclesiasticas, ac civiles. Nunc ne quis insalutatus a me in hac epistola,

et a debito obsequii officio defraudatus praetereatur, gradum facio ad reliquos omnes Arianensis Dioecesis cives; Optimates scilicet, et Proceres populi, et caeteros quoscumque de populo, pauperes, et dites, doctos, et indoctos, Filii dilectissimi, vos eo magis mihi cordi estis, quo magis opera, consilio, praeceptis Directorum indigetis. Equidem vix dum consecratione accepta, voluissem istuc volare ad vos, ut iis, qui inter vos forte infirmi sunt, infirma confirmarem, confracta consolidarem, depravata converterem. Sed quoniam tam cito venire non possum, has meas benevolentiae, ac observantiae plenas litteras praemitto, in quibus breviter mei animi sensus exposui.

Primum igitur quod vellem, est illud, quod a suis discipulis S. Jovannes Evangelista petebat in omni sermone, quem ad eos habebat; nempe ut vos, o Optimates, caeterique de populo ametis invicem mutua, et sincera caritate, eamque nulla discordia unquam scindat, Vos estis omnes fratres in Deo Patre per creationem, omnes fratres in Christo Jesu per redemptionem. Fratres autem propinquitatis vingulo, et jure sanguinis debent se invicem diligere. Deinde iidem vos, cum sitis omnes ejusdem gentis, ejusdem Provinciae; estis tanquam multa membra in uno corpore: quare nisi debetis exitium vobismetipis, oportet, ut vos alter alterum juvetis. Hoc ratiocinio Menenius Agrippa plebem Romanam e monte sacro, ubi secesserat a Patribus dissentiens, domum revocavit. Sinite ut vel vos illo convicti esse videamini. Optimates igitur plebeis tutela, consilio, opibus succurrant. Plebei Optimatibus praesto sint in opere faciundo, ubi-

cumque res Optimatum exigit, sive domi, sive in suis vineis. Non deseratur in necessitate vidua, non relinquatur orbus ope pupillus. Praeterea qui ex vobis sanctus est, sanctificetur adhuc, qui vero casu inciderit in errorem, curet statim de illo exire vera, sinceraque poenitentia, et redire cum Numine in gratiam. Si nostrum nemo cum inimico dormire patiatur unam noctem, multo minus debemus vel diem unum versari cum peccato. Ego idcirco vos supra commendavi etiam, atque etiam Parochis, ut in omnibus spiritualibus necessitatibus vobis adsint, et provideant. Vobis nunc efficiendum, ne, cum vobis nihil desit ad recuperandam justificationis gratiam, ipsi vobis deesse videamini. Quin immo e contrario agite, carissimi, identidem avulso a curis secularibus animo, devotioni, atque augustorum Sacramentorum poenitentiae, et Eucharistiae susceptioni vacate. Sine adjutorio Dei vix aliquid naturaliter bonum facimus, quod tamen ad vitam aeternam inutile est; nullum autem prorsus supernaturaliter bonum sine illo unquam efficere possumus. Nam teste scriptura; *omne bonum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum*. Sacramenta autem sunt canales ordinarii, unde nobis manant a Deo fortissima adjutoria gratiarum actualium: sicut in ordine naturali meatus ad derivandam aquam, ut olera in hortis irrigentur, sunt factitii quidam canales.

Nam Sacramenta praeter gratiam sanctificantem, aut augumentum ejus producunt etiam gratias sacramentales, quae dant jus ad accipienda auxilia actualia tempore opportuno ad obtinendum finem sacramenti, qui finis in sacramentis Poenitentiae, et Eucharistiae est, ut justificatus

se servet in gratia habituali, et vincat tentationes, quae superveniunt, et crescat semper in perfectione. Sicut ergo hortus, qui canales non haberet, derivare aquam in olera non posset; sic qui sacramenta negligit, gratiis actualibus saltem efficacioribus illis carebit, quae a sacramentis proveniunt. Atque fiet miserae animae illius, quod eveuit oleribus hortorum carentibus irrigatione; scilicet ut ambo arescant, anima defectu roris caelestis, olera defectu aquae naturalis. Averrunget Deus hoc tantum malum a vobis, Filii carissimi. Ac proinde tollite morem illum barbarorum ad sacramenta Poenitentiae, et Eucharistiae non accedendi, nisi semel in anno. Alioquin quomodo vos immaculatos, et puros servaveritis ab omni labe? Scitis jam, quod spiritus promptus est, caro autem infirma; ut ipse Salvator noster admonuit excitans Apostolos ad vigilandum. Longe autem horribilius esset, si quis ne post annum quidem, ne tempore quidem Paschali se submittere vellet dictorum Sacramentorum acceptioni: canonicae enim poenae, quas praeter peccatum incurreret, perderent et animam simul, et corpus illius.

Est et aliud hodiernis christianis vitium, ut dies festos nullatenus sanctificent; vacantes tunc vel otio, vel labori. At vos diebus profestis labori operam date ad quaerendum victum corpori et familiae; festis vero neque labori, neque otio, et multo minus tabernis vinariis, et ebrietati; sed eos totos consumite in templis sacris coram Deo, ac in oratione. Postquam sex hebdomodae dies in corporis usum contriveritis, grave ne sit vobis, dilectissimi, septimum, qui Dominicus vocatur, totum animae sanctificationi, et Deo sacrare. Si qua dominentur in vobis vi-

tia; si qui scrupoli animam vestram agitent, tunc tempus est subjicere omnia judicio probi, ac docti confessarii, et componere vestras conscientias, ut sitis parati ad omnem Domini vocationem secundum illud: « estote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet »; insuper ut possitis vel hic habere in terris illam pacem, ac felicitatem, quam mundus dare non potest; quantum tamen patitur humana mortalium conditio in hac lacrymarum valle degentium. Amen.

Vota haec, quae ex animi sententia augurati sumus vobis, ut Deus fortunet, utque monitis nostris vim incutiat aptam ad commovenda corda vestra precor Beatam Virginem Deiparam in primis, cuius ego numini, majestatique devotus sum, et devotissimos vos esse velim; precor, atque obsecro omnes sanctos Arianensis Dioecesis tutelares, scilicet Divum Othonem, Eltianum, et Liberatorem, ut ipsi Dominum deprecentur pro unoquoque nostrum; mihi quidem ut lumen, et vires donet ad demonstrandam vobis viam salutis, et documenta opportuna, et necessaria vobis suggerenda; vobis autem ut docilitatem largiatur, ut ex exhortationibus justos faciatis progressus; ambobus autem ut auxilium efficax ad salvandas animas nostras effundat abunde. Illud vero potissimum quaeso, ut orent pro Rege nostro Ferdinando II. et Pontifice Maximo Gregorio XVI. qui nullam priorem curam habere videntur, quam ut viduis Dioecesibus pastores suos redonent, ut ambo pace stabili, et incolumitate per longos annos frui possint. Valete

Dabam Neapoli ex Ædibus Ss. Sossii, et Severini IV. Nonas Martias MDCCCXXXVIII. Ipsa die Consecrationis nostrae.

